



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Septiceps Lvthervs, Vbiqve Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxonicam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De Purgatorio, cap. 28.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

DE PURGATORIO.

defunctis celebratā, meliorem ac efficaciorē ad redimēdas animas, quām sunt indulgētiæ per

*De abrogā.* Missam quæsitę. At in libro de abrogāda missa *Missa parte secunda.* hæc omnia impudentissimè abnegat, & B. Gregorium in Dialogis (vbi multis exemplis & historiis probat ille, quantum prosint defunctis Missæ suffragia) superstitionis calumniosè arguit. Nunc tuā igitur (Illust. Princeps) cōscientiam appello, & rogo, vt omniū quoque Consiliariorum tuorum conscientias adiures, vt dicant tibi, vter librorū melius placuerit ipsis ab initio quando æditi sunt. Non dubito, quin Resolutiones preferat in corde suo: Cur ergo non approbent magis Lutherum ibi, quam in furioso libro contra Missam?

De Purgatorio.

CAPVT XXVIII.

**N**eque hīc satis sibi constat Lutherus: Aliquando enim constanter affirmauit Purgatorium, aliquādo in dubiū vocauit, aliquando in totū derisit & abnegauit. Ita enim scribit desertor iste ad desertores & desertos Valdenses, quam negatis purgatorium, damnatis Missas, vigilias, cœnobia, monasteria, & quicquid per hanc imposturam erectum est, per omnia etiam probo: Neque quisquam astringitur ad credendum, esse purgatorium, cum de hoc nihil sit in scripturis. Sic autē Deus forsā quosdā pios, mortis & inferni horroribus & tentationibus grauioribus exerçet, quæ vice

*Ad Vinaldē  
ses de Eucha  
ristia.*

purgatoriū esse queāt ipsis, de quo nemo etiam  
scit prēterquam ipsi. Ideo non est docendum  
purgatoriū: Nam iudicia Dei sunt oculta, ne-  
que à nobis scrutanda. Hæc ibi: In assertione  
autem articulorum suorum, quāuis Papa qua-  
tuor eius articulos de Purgatorio erroneous  
damnauerit, ait se credere, Purgatorium esse,  
Et consulo (inquit) suadeōque credendum,  
sed neminem volo cogi. Cæterū in disputa-  
tione Lipsensi, & in declaratione quorundam  
articulorum, non solum credit, sed etiam cer-  
tissimè scit Purgatorium esse. Et in Resolu-  
tionibus suis, nouit hominem qui super terrā  
pœnas Purgatoriū patitur, & quales sint, non  
secus atque expertus enarrat & describit. In  
disputatione sanè sic ait. Ego, qui credo forti-  
ter, imò ausim dicere, scio purgatorium esse,  
facilè persuadeō in scripturis de eo fieri men-  
tionem. Quemadmodum illud Matthæi in-  
ducit Greg. in Dial. Non remittitur neque in  
hoc seculo, neque in futuro. Volens peccata  
quædam remitti in purgatorio. Admitto (in-  
quit) & illud Machab. ij. Sancta est & salubris  
cogitatio pro defunctis exorare, &c. In decla-  
ratione verò adhuc clarius loquitur. Firmiter  
credendum est (inquit) & ego scio, verum es-  
se, quòd miseræ animæ ineffabilem pœnam pa-  
tiuntur, & nos eas iuuare tenemur orationi-  
bus, iejuniis, eleemosynis, & quocunque pos-  
sumus. Quid vis amplius (Illustrissime Prin-  
ceps) tuum nunc est, an sanum & Catholicum

*In assertio-  
ne art. 37.  
& seq.*

*In Resolu-  
conclu. 15.*

*In Disput.  
Lipsica cō-  
tra Ioan.  
Eccium.*

*In declara-  
tione quo-  
rundā art. 1*

## DE SACRAMENTO

*In expla-  
natione Pa-  
ter noster.*

olim doctorem, an verò furiosum nunc Apo-  
statam & desertorem sequi velis. Si monita no-  
stra contemnis, ipsum saltē audi in explana-  
tione orationis dominicæ. Ecclesiam vult (in-  
quit) audire Dominus, non te aut me, aut trāf-  
fugam quempiam segregatūmque Phariseum.  
**Q**uapropter cùm Ecclesia concinne (inq̄it)  
& ritè benēque cātabis. Et si fortè absonta vo-  
ce prostrepis, tamen quia multitudinis aſſonas  
concentui, pro legitimo cantus tūus tenore  
censebitur. At si canere ſolitaria voce tenta-  
bis, non effugies fannas & cauillationes. Hæc  
ibi. Non eſt ergo, quod eum nunc quoque in  
ſua viſitatione aliter audias, quām vbi cū E-  
cclesia canit & loquitur.

## De Sacramento Pœnitentiæ.

C A P. XXIX.

*In lib. Viſi.*

**Q**VAM bene docuerit aliquot iā annis pœ-  
nitentiā, ex ipſius ſane confeſſione nunc  
dignosci potest, arbor ſcilicet ex fructibus:  
Nunquid colligit de spinis vuas, aut de tribu-  
lis ficus? Ait nunc in Viſitatione ſua, Multi,  
dum audierunt, vt ſolummodo credāt, omnia  
ipſis remitti peccata. Fingunt ſibi fidem, & pu-  
tanſe mundos eſſe, per quod fiunt temerarij  
ac ſecuri. Eiusmodi autem carnalis ſecuritas  
peior eſt (inquit) omni errore qui ante hoc  
tempus vñquam fuit. Audis hæc, ILLUSTR. Prin-  
ceps? Quis eſt autē noui & falſi illius dogma-